

eclesie scandalo, atque pernicie circumferri. Extrat anathema Pii II. in eos, qui ad futurum Concilium appellaverint, & sine Pii causis, quas multas suis literis reddidit, manifestum est, non hanc & hereticorum omnium summam patrocinium esse, & fenestram vel maximam aperire, ad obedientiam Ecclesiasticam iacturam, ac perniciem vere pietatis.

Iterum Adversarii reclamant dicentes, Papam esse membrum Ecclesie Universae, principale quidem, quia caput est; Concilium vero Generale, utpote universam Ecclesiam representans, & vicem tenens, esse ipsum corpus Ecclesie. Quid autem absurditatis culpanda venit appellatio a parte ad totum, a minori ad majus? Hoc sanctissime probavit Divus Augustinus, qui de primis Donatistis adversus Melchiodis iudicium expostulantibus, scripsit: (1) *Ecce vitemus illos Episcopos, qui Romae iudicaverunt, non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium univ[er]sae Ecclesie Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententia solveretur.* Et alibi idem Sanctus Doctor Pelagianis exprobrat pertinacis erroris petulantiam, adhuc (2) *post factum illis competens, sufficiensque iudicium, nempe per Romanum Pontificem Innocentium I. sententiam.* Quod enim competens, & sufficiens dicitur, utique iustum iudicium est, sed nondum finale, & ultimum declaratur, quia restat ulterius plenarium iudicium Concilii Generalis.

Plurimum magnificant Adversarii relatum argumentum, perinde acsi esset Sampsoni insuperabilis roboris. Sed recisus paucis erinibus vires deficient. Non repugno, corpus Ecclesie consisti ex capite, & membris, quae procul dubio unita in corpore, sunt solo capite quid majus. Sed de hac amplitudine non est sermo. Quoniam quaestio praesens est de auctoritate, & potestate, quam Christus in Romano Pontifice, ut capite posuit, neutiquam in reliquo corpore, nisi per originem a capite, ut pluries ex ipsis Christi verbis, & ex perpetua traditione Patrum ostendimus. Insuper perspicuum est, corpus ipsum Ecclesie, praeciso capite neque definire quicquam irrefragabiliter posse, neque referre, neque ventilare. Quapropter plura vidimus in Conciliis Generalibus acta, & constituta, quae vel deleta, vel rejecta a Romano Pontifice, prorsus vacua robore, & irrita, ac insecta in Ecclesia remanserunt. Ecquis censet in hoc rerum statu, integrum esse appellare a Papa ad Concilium? Nonne etiam totum Regnum est quid majus solo Rege? Quia tamen tota auctoritas politica, & potestas in Rege residet; *stultum est illud admonere, a Principe appellari fas non esse, cum ipse sit, cui provocatur;* inquit Ulpianus Juris Consultus.

Ad auctoritatem Divi Augustini facilis occurrit responsio. Agebatur cum Donatistis de causa ad disciplinam spectante, ut in comperto est. Itidem agebatur cum hominibus stolidae pertinacibus, quos flectere adeo arduum erat. Quamobrem Sanctus Doctor indignatus, veluti ob supercilium Donatistarum, inquit; Restabat Concilium Generale cogere, ut, annuente Romano Episcopo, iterum eorum causa retractaretur, & omnium votis, eorum pernicia retunderetur. Idcirco dedit illis Constantinus Imperator, annuente Melchiodis successore, Arelatense iudicium, cupiens tantam impudentiam cohibere. Exemplum aliud dari potest. Post damnatas Lutheri haereses coactum fuit Concilium Tridentinum; cum ad alli-

ciendos hereticos, ut edoceri paterentur; tum ut tot gliscitibus erroribus per doctrinam fidei opportune obviantur; tum ut ipsi Episcopi plene edoceri de virulenta haerese labe, reduces in provinciam aptiores fierent ad continentendos in fide populos; tum ob alios plurimos fines, qui contingunt, necessitatem inducentes Concilia cogendi. Quae omnia probant, non quidem hujusmodi Concilia esse Papa superiora, sed tantum iterari iudicia ad utilitatem fidei, & Ecclesie. Adeo ut si nunc spes affulgeret flectendi haereticos, procul dubio benigna, & pia mater Ecclesia in aliud Concilium festive coiret, ad docendum, non ad revocandum in dubium res definitas, ut alibi plenius a nobis est dictum super unione Graecorum cum Latinis feliciter, & utinam finaliter in Concilio Florentino inita.

Hinc dici posset competens, & sufficiens iudicium prioris Concilii, quin posterius Concilium sibi superioritatem arrogare posset in praecedens. Perinde laudatum Concilium Florentinum nullam auctoritatem acquisivit supra Lugdunense, esto definitio processionis Spiritus Sancti iterum admittenda fuisset in disputationibus. Itaque dixit Divus Augustinus, fuisse datum Pelagianis sufficiens iudicium ab Innocentio I. quia causa plene finita fuit, neque ob eam necesse erat aliud iudicium expectare. Si vero Pelagianis paratos sese ostendissent errorem dedecere, & fidem amplecti, etiam plenarium Concilium fuisset illis concessum, quin Romano Pontifici fuisset derogatum. Igitur si hac de causa nihil detractum priori Concilio, a posteriori Concilio omnes communi calculo censent; cur detractum volunt adversarii superioritati Romani Pontificis, si contingerit post ejus competens, & sufficiens iudicium, ipso annuente, indicente, & regente Concilium, iterum causam retractari? Idem Augustinus loquens de Concilio Arelateni concessio Donatistis post sententiam Melchiodis, annuente S. Silvestro, ait: *dedit illi Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perverstitibus cedens.* Quare non erat necesse? Nisi quia primum iudicium erat absolutum, & finale, quod ex gratia, & benignitate tantum retractari poterat, neutiquam ex iustitia. Haec est manifestudo Ecclesie Romanae, quae licet primatum habeat, astamen humiliter se ipsam; ut egregie adnotavit (3) Hugo Etherianus Scriptor duodecimi saeculi.

Et quia nuperrimum Scriptor plenis tibiis buccinat, Augustinum vocare competens, & sufficiens iudicium Papae, quia adhuc restat plenarium Concilii iudicium, cogimur eundem Augustinum consulere, qui contra Pelagianos perinde insurgit. (4) *Vestra vero apud competens iudicium communium Episcoporum modo causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini.* En Episcopale Africae iudicium ab Augustino vocatum competens! Ubi vero de sententia Romani Pontificis differit, compellat illam iudicium competens, atque sufficiens, ut causa finita sit, & finita dici debeat. Propterea ad Sanctum Bonifacium idem Sanctus Doctor scripsit: (5) *Hec execrabilia dogmata, (nempe Pelagiana) venientes, & seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnari debeant, agere penitentiam.* Quare? Quia causa plene, atque plenarie finita est. Aliter sapere, est verbis ludere.

Finem & nos huic capiti imponamus auctoritate

tate Pii II. Pontificis Maximi (1) ad Norimbergenses in hac verba scribentis de appellationum, & appellantium audacia: esse haerese[m], quae a parvo tempore circa sensum visam suboriri, pullulavit, quae sub ovium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub appellationis specie, Ecclesie fatagat unitatem convellere. Nam si qua Christi unicus Vicarius Canonibus sacris etiam, & iuri scripto inherendo, decrevit, statuitque, & servari, ut dignum est, praecipit, calumniatores malevoli, & perversi subterfugere iustitiam praesentes, per ludibria frivolorum appellationum ad futurum Concilium, seu ad id, quod nusquam est, ac supra Christi Vicarium esse, aut revereri nequit, obedientiam, quae est de necessitate Ecclesie, & salutis universorum, improbe declinant, ac temere. Hanc igitur diabolico spiritu, & instinctu novitatem exortam considerantes, in totius Ecclesie Catholicae non tantum enervationem, sed eversionem, in Mantuano Conventu saepe, & multum discussam damnamus.

§. X I V.

Nonnulla dubia ab Adversariis obiecta expediuntur.

Clamitant adversarii. Si dissidium in iudicio errumperet Patres inter, & Romanum Pontificem Concilio praesidentem, cui standum esset? Nonne potius pluribus in unam coeuntibus sententiam, quam uni sibi soli fidenti? Respondeo. Patres Ariminenis Concilii numero praepollentes adversus perpaucos Episcopos in veritate fidei, & iustitiae constantes turpiter erraverunt, ut est notorium. Peto: cui parti inhaerere debuisset Liberius PP.? Eadem perinde inquiri possunt super latrocinialis Ephesini Concilii dissidio; in multitudinem debuisset adherere Magno Leo? Ecce itaque quomodo inter se collidunt exempla: (2) *Quasi resistari nequeat, quod illicite voluerit multitudo.*

Quod verum sentio, proferam: Duplex iudicium in Conciliis occurrit. Aliud discretivum, quod ad consilio rei definiendae pertinet. Aliud finale, quod rem fidei declarat, & definit. Si dissidium in primo iudicio emergat, suspendendum omnino est, donec dissidentes cohaereant. Si contingat in finali, omnino standum est Papae defatigati. Quia, ut hucusque probatum est, Papa commissum est a Christo Domino, ut fratres in ineluctabili iudicio confirmet in fide. Neque Concilio, praesente Papa, datum est, ut quidquam definat, nisi ex sententia Papae: Aut si quid, indulgente Papa, definit, nullum robur habeat, nisi auctoritate Papae roboretur. Hinc Basileense Concilium, ab Eugenio dissidens, enormiter erravit, & in schisma corruit. Quod argumento est, cuncta bene cedere, sive Concilio, sive Ecclesie, si Petro, ejusque successores consocietur, & incumbant; in deteriori vero prolabi, si ab illo sejungantur, vel cum illo contentantur.

Repetunt Adversarii; Doctores insignis nominis, & auctoritatis, etiam apud Pontifices, aliter admouendo sentire. Sed quid mea refert? Omnes veneror, plures legi, sed malo nitidam veritatem amplecti. Si antiqui sunt. Flagrante dissidio, vel tempore schismatis, vel proxime post illud scripserunt, adeoque plura falsis hinc inde miscuerunt. Si vero moderni Scriptores proferantur; proba, si Cathedrae Petri omnino

Serry Tom. V.

adhareant; si minus, abjicio. Divus Hieronymus Damasum, ut Magistrum compellans, ab errandi periculo prorsus deflexit; S. Cyprianus vero, a Stephano dissentiens, in errorem dilapsus est.

Si ita est; (importuni postulatoris redeunt) Ecce in Concilio Tridentino adeo magnifice de Romano Pontifice sentiente, definitum non fuit, superiorem eum esse Concilio? Ab his molestis facili negotio me expedio, retorquendum in hujusmodi pettores pudorem illum, quem nobis offundere conantur. Ex historia Concilii Tridentini ab Amplissimo Cardinali Pallavicino adornata, discimus, Oratores Ducum Saxoniae, & Witembergae, Lutheri, ejusque haeresis Fautores, & sectatores, postulasse, inter alia Catholicae Religionis perniciosa, ut instauratis decretis sess. IV. & V. Concilii Constantiensis, Patres illi suam supra Papam firmarent auctoritatem; ad sensum nempe impie obtortum Basileensis conventus. Hic sileo. Agnoscat ne adversarii, cujus generis sint hujusmodi advocati, eorum causa patroni, & sententiae fautores? Agnoscat, quo animo Pontificiae auctoritatis pestem machinarentur? Magnum hereticorum mysterium! Noverant sibi melius consulere non potuisse, nisi excita supremi capitis, in Ecclesia visibili, excellentia, aliam Ecclesiam conderent, eamque plena potestate cerebrosis legibus munirent. Ab his insidiis se avertere cupientes sapientissimi Patres, pettores depulerunt, & rati, non indigni Pontificiam superiorem auctoritatem ulteriori additamento, ut splendidiori exciperetur veneratione, nihil de ea dixerunt, (3) ut idem Cardinalis Pallavicinus innuit. Attamen illam continuo cultu profecti sunt Patres Tridentini, saepe repetendo in decretis: *Salva auctoritate Sedis Apostolicae.* Ceterum (in dicam quod res est) omnes Episcopi, praeter paucos Gallicanos, qui nec decimam partem Concilii implebant, ut monet laudatus Cardinalis, (4) summo flagitabant ardore, in Ecclesia, & singula privilegia Romani Pontificis in meritis ponerentur, & obloquuntur ora obstruerentur. (5) Verum Charitas Pii IV. Patres impulit ad ulteriora procedere in his, quae ad profligandas exortas haereses conducere, dimissa discussione de Pontificia auctoritate opportunitati, & latiori tempore. Penituit deinde Gallicanos Episcopos: Quum anno 1682. declarationes in Comitibus Cleri ediderunt; quia Innocentio XII. postea tunc regnanti humiliter scripserunt; *dolere se ex corde, ac ultra quam dici potest, quod in Comitibus suis anni 1682. nonnulla statuta fecissent, quae sanctitati suae displicerant.* Jam notum est, praefatas declarationes tum infallibilitatem, tum superiorem Papae auctoritatem Concilio, inficiari.

§. X V.

Testimonia, seu dicta Romanorum Pontificum, quibus se teneri asserunt observare Canones, explicantur.

NIL antiquius fuit Romanis Pontificibus, quam palam rescribere, se custodes esse Canonum, & munus suum esse eos tueri, reddere a violatione immunes, eorumque observantiam pro sua auctoritate, & suprema potestate, promovere, ac imperare, Frequentissime haec, & similes testificationes leguntur in eorundem Epistolis,

R

(1) Ep. 162. (2) L. 3. contr. Jul. c. 1. (3) L. 3. de haeresi, quas Graeci in Las. devolvunt c. 16. (4) L. 3. contr. Jul. c. 1. (5) L. 1. c. 24.

(1) Raynald. ad an. 1450. n. 38. (2) Leo M. ep. 41. ad Anatol. (3) In Introd. c. x. (4) In Introd. c. 10. n. 3. (5) Pallav. l. 19. c. 15.

lis, adeo ut in re obvia supervacaneam ducam, dicta, vel loca proferre, aut indicare. Quamobrem adversarii in his congerendis extra rem studiosi, plurimam ingerunt suspensionem, se hæc non nisi ad seducendum obrudere. Quo autem sensu perinde sint locuti, & perpetuo loquantur, res est præsentis instituti scrutari.

Adversarii inique interpretantur hujusmodi testimonia, canendo, planas confessiones esse Romanorum Pontificum, quibus, se subdi Canonibus Generalium Conciliorum, profitentur, perinde ad ipsi Concilia. Aberrant tamen toto ostio a veritate. Quandoquidem leges universales Ecclesie tanta maturitate constituta, pro disciplina, & pace Ecclesiarum indictæ, communi obedientia, & usu consecrata, ipsorumque Romanorum Pontificum auctoritate sancitæ, confirmatæ, & denunciatæ, quem magis onerant, ut eas factas testas conservet, quam ipsam Principem Supremum Romanum Pontificem? Udenam fortius, & oportunitus patrocinium, & robur nancisci possent, validiusque præsidium accerere, quam ab illo, qui supremam clavum Ecclesie tenet, qui plenitudine potestatis gaudet, & ex Religione omnium obedientiam exigat?

Non est adinvicem Monarchiam quantalibet potestate absolutam, quæ leges suas primordiales, & veluti municipalia statuta non habeat, a quibus piaculum sit abscedere. Cui proinde magis incumbit, inviolata ea servare, quam illi, qui Monarchicum regit imperium? Porro feretne veritas, aut amplissimus Monarcha Sæcularis, ut Papa legibus Ecclesiasticis, vel Conciliis institutoribus subditus asseratur, ac perinde Monarcha Rex subiectus suis legibus, & Regno eas ab initio decernenti, pronuncietur? Norunt Advocati Parisienses; Novit ipse supremus Senatus, quæ debuit diffidere, & dedocere, quum sub Francisco I. (1) in causa Concordatorum, & sub Ludovico XIV. in casu Minoritatis, libros decretorum igni tradendos coacti sunt producere, & tandem postremo, (utinam ad finem) sub Ludovico XV. (2) quum Regiam auctoritatem persudare, edito libello, per summam injuriam sunt moliti.

Est ne hæc illa fides, si superis placet, qua Regem a subiectione Romani Pontificis excipere plenis tibi conantur, ut sibi demum utrosque illudendos subiciant? Palam extollunt Constantiensia, & Basiliensia decreta, quum ad prosterendam Pontificiam auctoritatem, quaqua verum trahi possunt: ubi vero eadem Concilia Regibus, Principibus imperant, & comminantur, nihili habentur, & ut errantia traduntur, ut sibi ipsis tantum sit liberum, utramque auctoritatem proterere. S. Gregorium VII. doctrina celebrem, sanctitate insignem, robore invictum, in extirpandis morum corruptelis strenuum, in vindicandis iuribus, & privilegiis suæ dignitatis, & sedis, adamantini animi virum, qua audacia, qua temeritate infestantur, ac discerpunt? Vel quia edixit in Concilio Romano sententiam Papæ a nemine retractari posse, nisi a solo Papa: Vel quia fancivit a Papa nefas esse provocare; e contra a quolibet Tribunali ad Papam licitum, & liberum esse appellare: Vel quia pronunciavit, Papam a nemine judicari posse, neque habere superiorem in terris: Vel quia dixit, suæ auctoritati licere, contumaces Principes quacunque suprema dignitate fulgentes degradare; adeo ut neque nunc regnantem in Cælis audire permittant,

vel communi præcationum methodo in terris colli. (3) Sed manet Perri privilegium, ubicumque ex ipsius equitate ferretur iudicium, cum S. Leone ingeminabo: quia portæ inferi, etsi totus perstreperet orcus, non prevalebunt.

Ab incidenti digressionem, proposita ab initio difficultas me nunc revocat. Petebat ista, a potissima cura Romanorum Pontificum, constantque studium custodiendi sancitos Canones inferat eos subijci, & Canonibus, & Conciliis, a quibus decreti sunt. Compendio objecta retulimus; & cuncta diluit D. Thomas sapientissime docens, tunc Principem (4) supra legem cenferi, quando auctoritatem suam supra illam exerere valet, vel mutando, vel mutilando, vel derogando, vel dispensando, prout sibi in Domino pro loco, & tempore, vel personis, expedire videtur. Narrant omnes, quæ sint, & quales formulæ Cancellariæ Apostolicæ, & Pontificiis Diplomatis insertæ, ubi etiam de medio tolluntur Concilia Generalia, quatenus indultis obstant, & robur creduntur. Teneri tamen legi Principem, docet, Angelicus Doctor, non quantum ad vim coactivam, sed quantum ad vim directive. Verba recitare præstat. Princeps dicitur solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si agat contra legem. Sed quantum ad vim directive legis, Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur Extr. de Constit. Cap. Cum omnes; ex Innoc. III. Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure uti debet; & sapientis dicit auctoritas, (Catonis scilicet) Patere legem, quam tu ipse vuleris. Improperatur etiam bis a Domino: Qui dicunt, & non faciunt; & qui aliis onera gravia imponunt, & ipsi non digito volunt movere. Unde quantum ad Dei iudicium, Princeps non est solutus a lege, quantum ad vim directive legis, sed debet voluntarius, non coactus legem implere.

Hac regula communiti Romani Pontifices, quantum studium impendant, ut Sacri Canones immoti, & inviolati permaneant, nemo nescit. Plene edocti sunt de sententia illa Magni Leonis scribentis: (5) Tanto divinitus privilegium Nicæna synodus est consecrata, ut sine per pauciores, sine per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Et tamen, teste divo Augustino, (6) Posteriora Concilia addunt, minuunt, derogant prioribus, & mutant, quia, experientia præsertim duce, discimus, variare disciplinam, non tantum expedire, sed necessarium fore. Hac potitur potestate Romanus Pontifex, & plane cæcutit in meridie, qui eam inficiatur.

Novi, obtrectatores Romanæ Sedis vulgo pronunciare; Papam non posse agere adversus Canones Spiritui Dei constitutos, & totius mundi reverentia consecratos. Propterea bene spondent Apostolica Sedis decretis obedientiam, si a præfatis Canonibus nullatenus discordent. (7) Locutum perinde fuisse, ajunt, Gerbertum Remensem Episcopum, postea Silvestrum II. P. M. Novi, has formulas iterasse (8) S. Ivonem Carnotensem, & passim ab aliis ingeminari. Sed quo diverso proposito, & sensu, nemo ignorat. Illi contendunt, ut Canones omnimode Pontificiam excedant potestatem; Isti vero fati habent, ut non nisi ex necessitate vel ob publicam causam, aut ob majus bonum Ecclesie hujusmodi Canones mutantur, vel dispensatione vulnerentur. Ita in

in Gallicis concordatis compertum est contigisse, perperam tota pene Gallia reclamante, & renitente.

Et ne quis importune objiciat S. Ivonem ex Zozimo PP. scribentem: (1) Non dico, quod contra novos excessus non liceat nova promulgare mandata; sed hoc dico, quod dicit Papa Zozimus Narbonensis; Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel immutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconcussa radicibus vivit antiquitas, cui Patrum decreta sanxerunt reverentiam. Statim ad hanc obediunculam: Respondere petas, ut hic ratiocinator proferat, de quibus Canonibus locutus sit Zozimus, & de quibus fatus sit Ivo Carnotensis? Ille enim de Canonibus differit, qui nullam necessitatem pati possunt, ut destruantur, adeoque iuste impediunt potestatem Pontificiam in ædificationem datam, ne illos immutet, vel evertat. Hic est sensus Zozimi PP. Alter vero, nempe Ivo Carnotensis, si modo inter vivos ageret, o quot Canones a suo tempore diversos, vel immutatos in sua Regione, conspiceret? Obtrectatores itaque Pontificie potestatis compello, ut tandem enumerent, & retegant illos Canones sibi Papæ auctoritatem subijciantes. Quia facile deprehendunt, non ad subiectionem referri, scilicet quod nequeat Papa Canones convellere, sed ad iustitiam, cæterasque virtutes, quæ impediunt, a sancitis discedere.

Egregie dicta confirmat Gratianus occurrens objectioni sibi propositæ: (2) Sacrosancta, inquit, Romana Ecclesia jus, & auctoritatem Canonibus imperitur, sed non eis, aliquidur. Habet enim jus condendi Canones, utpote, quæ caput est, &cardo omnium Ecclesiarum, a cujus regula non nisi dissentire licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut se ipsam non subijciat eis. Sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octava die circumcisus, . . . postea vero, ut se Dominum legis ostenderet, contra legis litteram, leprosum tangendo mundavit. . . . Sic & summa sedis Pontificis Canonibus, sine a se, sine ab aliis sua auctoritate conditis reverentiam exhibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Nonnunquam vero, seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos, & conditores ostendunt. . . . Quamquam si decretorum intentionem diligenter advertamus, nequam contra Sanctorum Canonum auctoritatem aliquid concedere invenitur. . . . Sacri siquidem Canones ita aliquid constituunt, ut interpretationis auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesie reservent. Ipsi namque soli Canones valent interpretari, qui jus condendi eos habent. Unde in nonnullis Capitulis Conciliorum, cum aliquid observandum decerneretur, statim subinfertur: Nisi auctoritas Romanæ Ecclesie aliter imperaverit; vel salvo tamen in omnibus jure Sanctæ Romanæ Ecclesie.

§. X V I.

Ad nonnulla exempla Responsio.

ET si fatilla, & millies elisa exempla ab hostibus Pontificie auctoritatis efferantur, attamen præterea ea piget. Recolunt Honorium I. in sexta Synodo damnatum, & diris devotum. Recentent Joannem XII. a Synodo Romana plurimis criminibus convictum a sede dejectum. Memorant Gregorium VI. pari eventu Pontificatu exutum. Quæ omnia, superiora esse Concilia Pontificia potestatem, ut ipsi ajunt, ostendunt. Serry Tom. V.

Quod spectat ad sententiam sextæ Synodi in Honorium latam, præstat audire Hadrianum II. in Synodo Romana, in causa Photii ita proloquentem: Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse, legimus, de eo vero nunquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum sciendum tamen est, quia fuerat super heresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus libere respuere: Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuiquam de eo quantalibet sat fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset. Quod quidem & ipsa Concilia, Pisanum, Constantiensis, & Basileense prorsus callere, visa sunt, quum de depositione Gregorii, Benedicti, Joannis, & Eugenii agere aggressa, cumulare non desierunt adversus illos, reatum hæresis, & pertinaciæ in schismate, ne irritus, & inanis ex defectu jurisdictionis caderet per sese sententiæ vigor.

Ad iudicium latum adversus Joannem XII. nunc vergit responsio. Othone Imperatore agente, nec non ob Romanorum postulationem, congregata est Romæ Synodus ex nonnullis Italis Episcopis, quibus pauci Episcopi Germani se adjunxerunt. His præfedit ipse Otho Imperator distaque sententia est in Joannem excommunicationis, & depositionis: Quæ per Othonem rogata, protinus alius in Pontificem electus fuit: Leo XIII. dictus. Post duos menses pulsus est Roma Leo; coacta est alia Synodus ab Joanne, in qua intrusus Leo damnatus fuit, una cum Concilio, quod ei favit, ut culmen Apostolicum invaderet. Quidquid deinde præpostere processit; nempe quod, sancto Joanne, electus fuerit in Pontificem Benedictus V. & eodem Othone hostiliter agente, in exilium pulsus fuerit, & Leo restitutus, iniquitati temporum, armorumque furori, nequitiam justitiæ merito tribuendum venit. Sed quid hæc sapiant ad intentum, ignoro; nisi velint Adversarii Pontificem Maximum subijcere adhuc Concilio cuilibet, etsi nullatenus Oecumenico, quod de quolibet Episcopo forte non sunt dicta. xi. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamer accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum generalis Ecclesie criminatibus licere, consentium est? (3) Scripsit Avitus Viennensis Episcopus nomine Gallicanorum Episcoporum ad Senatores Urbis Romæ. Idem urgetur magis ex Can. 21. Synod. VIII. Oecumenicæ in hac verba definitis. Si quis aliqua sæculi potestate suens, vel potens, pelleret tentaverit præfatum Apostolicam Cathedram Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita questione suscitari, & solutionem accipere, aut proficere: non tamen auctoriter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices. Proficere quidem monendo, corrigendo citra iudicium, citra sententiam; ut infra §. 19. Postremum exemplum, perinde ac priora, inepte procedit. Gregorius VI. fedit una cum Benedicto IX. & Sylvestro III. & ut videtur Baronio, Leonem Otiensem secuto, etiam cum quodam Joanne quadriforme monstram complente. An rite, recteque fuerit electus Pontifex Gregorius, vivente adhuc Benedicto pro legitimo Pontifice accepto, digladiantur inter se eruditi æque ac historici. Quamobrem in Synodo Sutrina prope Romam coacta, R r erro.

(1) Histoire du Concord. Pithou. Histoire du Calvinism. Hist. Battaglin. ad an. 1668. n. 25. (2) Consultation des Avocats. 1727. (3) Sern. 2. in Annivers. suæ Assumpt. (4) l. 2. qu. 96. art. ad 3. (5) Ep. 53. ad Anatol. Constantinopol. (6) August. l. 2. contr. Donatist. de bapt. c. 9. & alibi. (7) Ep. ad Segin. Episc. Senon. (8) Ep. 60. ad Hug. Lugdun.

(1) Ep. cit. (2) Ad c. Ideo 25. q. 1. (3) Episc. cit. super.

erroneorum Pontificum causa ventilata fuit, consiliumque ipse Gregorius accepit Papam cedendi; ut scriptum reliquit (1) Victor III. narrans: Benedicum Pontificatum Gregorio reliquisse, ipsumque Gregorium, audita Sutrinensi disputatione, agnovisse, se non posse iusto honorem tanti Sacerdotii administrare, ac proinde semetipsum Pontificaliibus indumentis exuisse. Implexa historia est. Ut ut sit, Provisum fuit scandalo, & schismati, non minus ac in Concilio Constantien. Si Gregorius VI. Pseudo-Pontifex fuit, iuste a Synodo pulsus extitit. Si legitime Thiarā potius erat, iustissime eam sponte deposuit in illa Synodo, cui per se praesidebat. Igitur nihil ad rem valet exemplum. Quæstio namque præfens est de Synodo sibi subiciente legitimum Pontificem, nequam de Pontifice sponte Synodo subdente, & se Pontificatu abdicante.

§. XVIII.

Possimum fundamentum Adversariorum sententiæ corollitur.

Constitutam a Christo Domino Ecclesiam suam nobiscum Adversarii profitentur, non tamen consentiunt Petro datam fuisse plenitudinem potestatis, jurisdictionisque supra totam, qua late pater ejusdem conditoris Christi Ecclesiam, in qua & oves, & agni, & pastores, & greges comprehensū intelliguntur. Verum cardo difficultatis est, an Petro immediate, ac in propria persona onus regimini, ac honor potestatis delegatus fuerit; vel tantum Petro, personam Ecclesie representanti, commissio facta intelligatur, ita ut ipse Petrus vices Ecclesie gerens, curam collatam administraverit, tangaam caput ministeriale Ecclesie; vel eam in Christum largiorem duntaxat referat acceptam, tanquam caput supremum, independentem in sui exordio constitutum, & tanquam Pastor universalis omnium Christi ovium.

Afferunt proinde Adversarii, Petrum quidem institutum fuisse caput, & Pastorem Ecclesie; sed quia personam Ecclesie agebat, tota potestatis plenitudo ab Ecclesia in successores Petri derivat, tanquam ministros Ecclesie in exercitio auctoritatis, & jurisdictionis, quin prærogativam capitis, & Pastoris deperdant; quod perinde est, ac dici caput ministeriale Ecclesie, & membrum principale totius mystici corporis. Porro quum tota Ecclesia sit major qualibet parte; quumque totum, a quo omnis fuit potestas, sit excellentius, superiusque parte qualibet ministeriali, absque dubio colligi debet, Papam esse Ecclesiam inferiorem. Cur ergo id denegabitur Concilio Oecumenico? Nonne Concilium est ipsa Ecclesia congregata, cui semper adest, & Spiritus Sancti afflatus, & ipsius Christi præsentia, juxta firmissimam pollicitationem: *Ubi erunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum?*

Traditio his dictis favet, quum pleraque Sanctorum testimonia præsto sint, quibus traditas claves Ecclesie immediate affirmant. Divina providentiæ convenientior modus instituendi Ecclesiam acceptus tribuitur, quam multitudini potius, quam uni iudicio de summa rerum, cuiusmodi est fides, & indefectibile Regimen committitur. Perniciosa quoque diligentius, certiusque per sapientum consilia, vel decreta, aut præoccupantur, aut avertuntur, quam per unius arbitrium infinitis infirmitatibus continuo laceratum. Quid? Quod hæc dicere necesse sit, quum defluente vita

hominis Pontificis, in Ecclesia adhuc claves potestatis manere fateamur; in sinu nempe illius matris, a qua profuunt, & ad quam redeunt iterum proditura. Hucusque Adversarii.

Removeamus ambigua, & argumentum ex se corruct. Admittere non dubito, Petrum duplicem personam gessisse, quum Claves potestatis, & jurisdictionis sibi collatas a Christo accepit. Unam, qua electus fuit in Pontificem, & designatusque legitur Pastor omnium ovium, & agnorum; eaque designatione constituta fuit Ecclesia visibilis, unam ovile sub uno Pastore, unusque Pastor visibilis superior toto ovili, quemadmodum ipse visibilis Pastor, fuit immortalis, atque invisibilis Pastore, ac Domino Christo institutus, vicesque ejusdem gerere intelligitur. Alteram personam representavit Petrus, quum Ecclesie figuram præferebat, accepit jus potestatis, æque ac jurisdictionem transferendi in successores eligendos, in beneficium totius Ecclesie. Permittere quoque non detrecto, vicissim Petri Successores ab Ecclesia designatos, nedum ab alio suscipere auctoritatem super totam Ecclesiam, sed etiam per ipsam Ecclesiam jurisdictionem, ut eidem in spiritualibus provideat. Admitto pariter claves potestatis, & jurisdictionis manere in Ecclesia, vacante Sede, sopitas tamen, & vacuas exercitio, quoad plenitudinem propriam universalis regimini super totam Ecclesiam; reversionem tamen in Papam, statim ac rite, & Canonice electus fuerit.

His admittis, nequaquam impugnari potest, Petrum in propria persona, ejusque successores accepisse, & accipere a Christo onus, & honorem dignitatis, & potestatis supra totam Ecclesiam. Absque dubio namque esse debet, Pastorem supremum Vicarium ipsius Auctoris Jesu Christi, toto ovili superiori esse debere; nisi quis velit hierarchicum ordinem invertere, atque pervertere.

Porro quemadmodum ut Pastor toto ovili superior necessario colendus est, ita etiam, ut caput Morale totius corporis Ecclesie, eadem gaudere debet præcellentia, & superioritate. Etenim est Ecclesia percipiatur transfundere in electum Pontificem depositas sibi claves a Christo in persona Petri, nullatenus tamen eas administrat, ut caput ministeriale Ecclesie, membrumque hujus corporis, se ut Pastor institutus in Petro a Christo, & ut Vicarius Jesu Christi; ne cogamur Papam compellere verius Vicarium Ecclesie, quam Christi, quod nullus somniavit Catholicus.

Discursus nitide fuit. Super te Petram ædificabo Ecclesiam meam, inquit Christus. Igitur super te in propria persona: Alias si lusorius fuisset sermo, si Petrus personam Ecclesie utique gessisset, & sensus seret: Super te Ecclesia ædificatur sum Ecclesiam. Idem Christum dicere: *Pascite oves meas*, idem fuisset ac dicere: *oves pascite vos*: Quum mandavit: *Et tu conversus confirma fratres tuos*; idem hoc esset ac pronuntiare: *Et tu Ecclesia confirma te ipsam*. Si igitur in his, & similibus Christi locutionibus primo intelligi, necesse est, designari Petrum in propria persona, cur quum traditas claves Petro legimus, personam Ecclesie primo fingere, erit opus?

Ex his coherant omnia: & Patrum in utroque dicto traditio perpetua: & optimus providentiæ scopus, ut Hierarchia Ecclesiastica ad unitatem sit relata in terris, quemadmodum in cæli miro ordine ab uno effluit: & dissidiorum oceanis

fionis sit exclusio, quæ in multitudine hominum per sepe acturæ: Ipse tandem unus Pastor, ac summus Pontifex Christi indefectibili pollicitatione fretus, falli, & fallere necius, ex Cathedra docens perpetuo, & fidei, & Ecclesie securus adest. Quod si adverso Numine contingeret, fieri Papam a fide devium, vel schismatis pernicissimum fomitem, jam divina opitulante providentia prospectum est, ut Ecclesie judicio subiciatur, in cæteris ineffabili aeterni Judicis decreto reservatur. En in tuto sunt omnia.

Audiant hostes nostri, & iterum audiant egregium oratorem Gallum compendio rei, & rationis, prædica quolibet confirmantem; nempe Episcopum Meldentem in publico Consistorio, sedente adhuc Concilio Florentino post sess. 29. nomine Christianissimi Caroli VII. ingenue perorantem, atque contra nefarios conatus Convenus Basileensis diserte dicentem: (1) *Nimio fervore resistendi ad hanc vesaniam Basileenses devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere negant, sed eam in multitudine, que cito in diversa scinditur, collocant; & sic pulveris Ecclesie Monarchiam, que Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in iisdem ceremoniis æquum cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere contendunt, nobilissimam politiam ad democratiam, vel Aristocratiam redigere molientes.*

Hæc fuit Basileensis vesania, subjicere Papam Concilio despotice, sive fidei, aut schismatis reus deprehendatur, sive infons exiterit. Illumque decretis ligare, ne potestatem suam exeret, subitum tamen periculum incidendi in correctionem Concilii. Eandem ideam proferunt, qui decreta Constantiensia extollunt, quique etiam extra casum violatæ fidei, & inducti schismatis, vel producti, ea interpretantur. Hoc prorsus est momentum controversiæ motæ ab illis quibusdam pugnatum. Implicat igitur, consistere decreta Constantiensia sess. IV. & V. in sensu Basileensium, & non incidere in vesaniam, quam Gallicanus Orator publice execratus est.

Ad objecta, quibus inmoderata ingenia Pontificiam superiorem Concilio auctoritatem carpunt; esse scilicet Papam Ministrum Ecclesie, membrum, & partem Ecclesie, in Ecclesia, & ab Ecclesia vel electum, vel probatum, fumentem ab Ecclesia depositam plenitudinem potestatis: & his similia. Respondeo; si quid hæc valerent, æque probarent, Monarchicum, & independentens dici non posse V. G. Gallicum Regnum, quia dejecto Chilperico, & evecto in Thronum Pipino, omnia prædica impleta sunt, quæ per adversarios subijciunt potestatem subditis. Quæ si negabunt, ut proclive est credere, perperam urgebunt contra Papam; eo fortius, quia hic est immediatus Christi Vicarius, cui tradidit Jesus Christus ex deposito (ut ita dicam) Ecclesie, plenitudinem potestatis, quam quum exerceat in beneficium Ecclesie, nihil repugnat adhuc, Ministrum Ecclesie Papam dicere. Sed quorsum hæc ad subijciendum Papam Ecclesie, vel Concilio?

Discutere non abs re est, allatas arguendi formulas. Deducunt enim, vel ad ludicra vel ad hæreticalia signa. Quoniam si Papam, ut partem Ecclesie, subdi necesse foret Ecclesie; Cur quoque, & ipsum Concilium non subderetur Ecclesie, quum & ipsum sit pars Ecclesie? Nonne in Ecclesia auctoritatem accipit? Nonne Ecclesia nu-

merosius, & plenarius Concilium quolibet priori celebrato hucusque cogere potest? Ergo si quid valet inepta argutio, evincet, quodlibet Concilium, quantumlibet generale, vel alteri posteriori & pleniori Concilio subesse, vel ipsi Ecclesie, cujus pars, & membrum existit. Rursus, si potestas data est Ecclesie, ut Papæ communicaretur cum subiectione ad Concilium, cur per se ipsam illam eandem non valebit exercere, & supra Papam, & supra Concilium? Quumque Ecclesia constata sit ex hominibus utriusque sexus, tum ex Ecclesiasticis, & laicis, ex ovibus, & Pastoribus quis iuste omnibus denegabit jus hæc potestatem exercendi? His arguendi formulis ludunt, & salunt hæretici; iisdemque Novatores utuntur ad fingendam Ecclesiam, & Hierarchiam, ab illis, quæ modo sunt auctore Christo, diversas.

§. XVIII.

Consecraria compendiarie deducta ex dictis in utraque dissertatione promuntur in medium.

Petrum institutum fuisse a Christo fundamentum Ecclesie, nemo inficias ibit, quum id Evangelica veritas lucidissime omnes doceat. Deinde quum omnium cura eidem Petro commissa fuerit, unum designatum est ovile, nimirum universa Ecclesia, cui unus supremus Pastor congrue debeatur. Quia vero unitas Pastoris magis intime ad unitatem capitis comparatur, quum (2) ex Apostolo Ecclesia Corpus nuncupetur, proinde eodem jure a Patribus, & Conciliis non tantum Pastor, sed etiam caput visibile Ecclesie, sub capite invisibili Christo, publice conclamatur. Porro Pastori accedet totum ovile regendi ministerium, quod idem est, ac dici, & esse universalis Ecclesie Rectorem, quemadmodum conceptis verbis professi sunt Patres Constantienses sess. 40. & alibi. Hæc regimini ratio tota petenda venit a Pontificio Petro tradito illis verbis: *Quæcumque solveris in terris, erunt soluta & in Cælis, & quæcumque in terris ligaveris, erunt ligata, & in Cælis.* Clavium nomine potestas omnis comprehenditur; non erga unum Cælum tantum, sed ad omnes Cælos, ultra terram extensa, ut iudicium sit, omnia impedimenta tollere posse, quominus aperiantur, vel actum claudantur. Duplex namque obitare potest impedimentum. Unum ex parte intellectus, quod est ignorantia; Alterum ex parte affectus, quod est peccatum. Illud tollit Petrus Magisterio, & doctrina: Istud evacuat absolutione, & remissionis dispensatione. Quibus bene circumspicis, liceat mihi de Vicario Christi, salva debita proportione, verba Apostoli retexere: (3) *Ut sit in omnibus ipse Primatum tenens, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum.* Utique plenitudinem dicimus potestatis, & jurisdictionis, quæ major in terris sit, vi cujus reconciliantur omnes in Christum harum clavium datorem.

Itaque si Petrus, ejusque successores Romani Pontifices, eodem jure, quo est Pastor, & Rector Universalis Ecclesie, est quoque supremus Doctor, & Magister ejusdem: (4) *An volumus (cum Cano percunctabor) ut his diebus non sit iudex in Israël, sed unusquisque, quod sibi videtur bonum, id & faciat, & sentiat? Volumus, inquit Evangelii libertatem. Anne est libertas Civitati, nullum habere, a quo regatur? est libertas*

(1) Raynal. ad an. 1441. (2) Ad Colof. I. (3) Ad Colof. I. (4) De loc. Theol. l. 6. c. 3.

(1) l. 3. dialog.

Navis, sine gubernatore undis, ventoque permitti? Libertas ergo erit, ut quidam ait, nullum esse in schola preceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, sed solis cupiditatis turbam, ac miseri omnia pro libidine? Id vere ne pecudes quidem cuperent, quarum interest Pastores habere, a quibus deducantur in pascua, atque in eis defendantur ab injuria ferarum. Non itaque, ut ad propositum revertamur, domus una sine Patrefamilias, una Civitas sine Rectore, ovile unum sine Pastore, uno mortuo Petro relicto est, sed est aliquis, qui illi in regendi, ac pascendi oves auctoritate succedat.

Hec porro præclara dignitas, atque suprema prerogativa auctoritatis plane exigit, ut omnes sibi subijciat, omnibus emineat, & præsit, neminique subdit. (1) Quinimo qui a Romana quidem sede descenderunt, hi schismatici semper in Ecclesia sunt habiti, qui vero hujus sedis de fide judicia detraxerunt, hæretici. Quæ profecto omnia satis ostendunt, non humano, sed divino decreto Ecclesiam Romanam, & cæteris esse præpositam, & Petri privilegia jure sibi suo vendicasse. Adde quod Apostolicarum traditionum sinceritas non posset ad nos usque servari, alias Ecclesias, hæreticis Episcopis totis occupantibus, nisi una sedes Apostolica, inter tot orbis tumultus, fixa, intemerataque consisteret. Ad hæc, cum Concilia, & Provincialia, & Generalia, sine Romani Pontificis auctoritate nonnumquam erraverint, nunquam autem, si Romani Pontificis auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet, Conciliorum, atque adeo totius Ecclesie firmitatem a Romano Pontifice derivari. Præterea si inter Patres Concilii est controversia, vel de intellectu sacrarum literarum, vel de uno quolibet libro, an canonicus sit, nec ne, vel de alia hujus generis questione, ad hanc litem componendam, Judicem ponere necesse est; cuius tamen, si errare possit, incertum judicium erit. Judex autem inter Patres Concilii dissidentes nullus in Ecclesia, nisi Romanus Episcopus est agnitus.

Ex his productis principiis tum ex Evangelicis dictis, tum ex Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrumque Ecclesie sententiis, facile est deducere, in errorem labi oppositam de fallibilitate Pontificis Romani opinionem. Quod si in hoc erro (Cani utar verbis) (2) quod Romane Sedis privilegia a Christo illi concessa, & tuor, & contradicentes hæreticos nomine condemnandos esse credo, non solum tuto, sed libenter erro. Nec mihi errorem utilem, quo etiam delector, sine rationis præferim vi extorqueri volo. Nam me non solum ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Theologorum, & auctoritas. Hieronymus profanum esse, & perjurum dicit, qui Cathedra Petri, & Romane Sedis fidem non fuerit securus. Cyprianus alienum, ait, esse, propheta esse, hostem esse, qui universalis Ecclesie non tenet unitatem, hoc est, lumen unum, unde multi radii: radicem unam, unde multi rami: fontem unum, unde multi viri; petram unam, supra quam Ecclesia edificata est: Unum Pontificem, qui cæteros omnes sua vi, & auctoritate continet: A quo si radium tollas, extinguatur, si frangas ramum, increscat; si prescindas virum, arefcet, sic enim ille declarat. At qui in fidei controversia Apostolicæ Sedis fidem, judiciumque detrahet, is nec unitatem tenere potest, nec lumen, nec radicem, nec fontem. Atque Cyprianus idem: Qui Cathedram, inquit, Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat. Ambrosius pro eodem penitus habet, catholicum esse, & cum Romana Ecclesia convenire. Gregorius sic Sedis Romane aucto-

(1) Idem Cano loc. cit. cap. 7. (2) loc. cit.

ritatem in Religionis, fideique causa existimat esse amplectendam, ut qui noluerint, ab ejus petra, supra quam Christus universaliter fundavit Ecclesiam, soliditate, convellantur. Leo exortens divini mysterii cum esse affirmat, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere, & impiam presumptionem, que petre istius firmitatem, Deo edificante constructam, vitis violare. Nicolaus finit, quod qui Romane Ecclesie privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. Nam fidem, inquit violat, qui adversus illam agit, que est mater fidei; Hanc vero Nicolai sententiam noli, quæso, levis contemneris; que scilicet actione 1., & 7. Synodi octavæ confirmata est. . . . At enim doctrina sana oves pascere, fratres in fide confirmare, universas gentes per os illius audire verbum Evangelii & credere, supra illum edificare Ecclesiam, ut porte inferi non prævalerent adversus eam, non Petro, ut privato homini, sed ut Reipublicæ Christianæ præfesto congruebant. Quocirca ambigi inter catholicos nec debet, nec vero potest, quin Romane Sedis de fide, & Religionis judicia certa sint.

Nunquam pigebit, verba summi Theologi Cano pro episcopo prioris Consecrati adhibuisse, quia neque stricte, neque nervosius ad rem dici potest: Neque quoque verus. Etenim, historia duce, comprobamus, dixisse Victorem I. non esse Judeorum tempore celebrandum Pascha; certumque judicium fuit, & refragantes errantibus sunt adnumerati. Dixit Stephanus I. non esse iterandum baptismi iis, qui ab hæreticis baptizati fuerunt, ejusque sententia, ut fidei regula habitæ est reluctantes in hæresim prolapsi sunt. Damnavit Clemens XI. Quæstionaria didicera, & impugnantes cum Novatoribus adscripti receduntur, Constitutione Unigenitus, ut regula fidei agnita.

Bene sit, ajunt Adversarii, sed accedente Ecclesie consensu, quo Pontificia judicia in dogma fidei transeunt. Sed, prohi Deum immortalis! Quis ex Evangelio, ex Conciliis, aut Patribus hanc unquam valuit conditionem educere? Ipsa partium dissensio satis ostendit, evo fragili, ac caduco hæc opinio innixa sit fundamento. Alii universalis Ecclesie consensum exposcunt, constituendo infallibilitatem dogmatis adeo pendulum, ut ad Calendas Græcæ vix suam fortiaur fidem apud fidelium mentes. Alii Provincialium, vel Nationalium Episcoporum assensum postulant, ut sibi unice adseribant indefectibilis fidei meritum, & donum. Alii autem Episcopi alicujus Provincie, vel Nationis possint dare infallibilitatem, quam non habent, extranea omnino apud illos quaestio est, nec digna inquisitione. Alii recentissime effugiunt, necessarium esse ad infallibilitatem dogmatis assensum illius Ecclesie, ubi exorta est hæresis, perinde ac si ex merito parti hæreticos monstri, privilegio donata sit, fidem statuendi in terris. Quod si hæc particularis Ecclesia filebit, actum est de definitione, & dogmate. Præterea alios ad hanc vesaniam perductos, ut neque consensu utcumque, sint contenti, sed profus exigant a quolibet orbis Episcopo judicalem sententiam, post exactam maturam discussionem Apostolici decreti, ad comprobandum post Papam, Episcoporum judicasse. Itaque & Episcopos Smyrnæ, & Episcopos Pechini apud Sinas, plurimique alii per infidelium partes dispersi, hanc provinciam assumere coguntur, ne dogma fidei pendulum hæreat in corde fidelium. Vel tot Episcopi per orbem dispersi hoc infortunium pati cogentur, non habendi partem in Ecclesia per suum consensum. Alii tandem nuperime exco-

gita-

gitarunt dogmatis infallibilitatem in Apostolico judicio petere ab consensu accessu amplissimi Collegii Cardinalium Romæ sedentium, loco Cleri Romani, ac si, ut lepide quis opinari possit, quod amplissimi Cardinales sibi in electione Papæ reservent infallibilitatis privilegium, collaturi deinceps suo loco, & tempore, accedendo Pontificæ definitioni.

Itaque quot capita, tot sententiæ; & quo magis excurrit opinandi libido, eo longius a veritate abscedit. Agitur de dogmate fidei, vel ut quisque in fide integre quiescat, vel ut ab errore concepto discedat, vel ut hæresim ingruentem caveat, atque perinde exhorreat; & interim Nazari finguntur, inanibus verbis fideles decipiuntur, Fidei, ac Ecclesie illuditur, & duntaxat errori, atque hæresi laxantur habenæ. Ubi e contra femel prolata Romani Pontificis ex Cathedra sententia, instructi fideles, debere per os Petri audire verbum fidei, & credere, actum intellectum captivantes in obsequium fidei in una fide conveniunt, & in eadem permanent regula. Quæ si, sepositis partium studiis, ac dimissa estrani libertate opinandi, sanæ, & recte libentur, ad meliora deducuntur Populorum consilia. Et hæc fati de primo consecrario.

§. X I X.

Asterum Consecrarium assertur.

Eodem profus jure, quo stat sententia de infallibilitate Romani Pontificis, statuta quoque manet altera de ejusdem superlativa auctoritate supra Concilium. Siquidem, quemadmodum est unum ovile, & unus Pastor, perinde est una Ecclesia, & unum caput visibile, sub invisibili capite Christo. Sicut igitur salva unitate ovilis, nunquam sine agnos, sine oves colligere est in aliqua causa, quæ minime subint eidem Pastori, ne multiplicetur aut ovile, aut Pastor: ita salva unitate Ecclesie, non consistit Ecclesia visibilis, nisi sub uno capite visibili, scilicet Papa, maneat. Itaque, sine ovile fit dispersum per pascua, sine congregatum in caula, si unitatem servat, ab uno, necesse est, pendere illud Pastore. Ipsaque Ecclesia pariformiter, five fit dispersa per orbem, five adunata in Concilio, pro sua indivisa unitate cogitur ab eodem capite regi, quod dominetur. Conati sunt hæretici hanc unitatem ovilis, & corporis mystici dissolvere; propterea ab initio, impellente dissidiorum auctore, rebellarunt, ut vidimus, a Pontifice Romano hæretici Ariani, & Pelagiani, vel dicendo sententiam adversus Papam, vel ab ejus judicio appellando ad Concilium plenarium. Verum sunt ne facta impiorum hominum tradenda in exemplum? Licet ne Catholicis sapere alienis ab Ecclesia experientis?

Palam est, Romanum Episcopum alieno non subijci judicio, nisi sit a fide devius, vel schismaticus obduratus auctor, ex cognitione, quam inter se hæc sceleris ineunt. Aliud, & aliud decretum providentiæ divinæ utrumque præordinavit. Extra hos casus judicio duntaxat divino est rationem redditurus. Hinc Patres, hinc Concilia, hinc proceres poterunt quidem, salva debita reverentia corrumpere, atque oburgare Pontificem, si scandalo fit Ecclesie, sed nunquam in illum judicium ferre, & ne quidem artentare. Profidentur undique Catholicis omnimodam obedientiam debere Romano Pontifici, ut Christi in terris Vicario, quo major non est assignandus. Prosten-

tur Patres, Profitentur omnes Theologi de necessitate salutis esse, subijci summo Pontifici, uti professa quoque est tota antiquitas. Qui excipit Concilia, vel illa ab Ecclesia separant, vel illa a catholico dogmate excludit. Proloquium namque hæreticorum est, immediate tantum sub Christo capite invisibili degere fideles ut corpus visibile Ecclesie accephalum constituendo effraenes admittant.

(1) Præterea (utar verbis Magistri Cano, quia urgentiora non suppetunt) Præterea Ecclesie consuetudo hoc manifeste declarat. Nunquam enim admittitur appellatio in causis fidei a sede Romana, sed hæreticos ab ea judicatos, Ecclesia semper hæreticos etiam judicavit; & certe si Romana Sedis judicium fallax esset, Concilium vero esset verax, & certum, nature, rationi, veraque Theologia is adversaretur, qui appellationem a Pontifice ad concilium denegaret. Quo uno argumento, ostendit Galastus, Sedem Apostolicam de tota Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius pertinere judicium. Jam illiusmodi appellationes, in fidei præsertim dogmate, Ecclesia nescit; nam is hæretici solum utuntur.

Quid si admitterentur hujusmodi appellationes a Romana definitione ad futurum Concilium? Nonne suspensiva admittitur licitam faceret hæresim licentiam impune grassandi per populos, & hæreticis ipsis permissum redderet impune interim vivendi ad longissimum tempus; cum satis apud omnes compertum sit, quantum difficile sit congregare Concilium Generale, & sæpe etiam impossibile ex frequenti temporum perturbatione? Quamobrem erit credibile, quod Ecclesia hæc infelici conditione, adeo aliena a Christi providentia, fuerit constituta, ut ab improbis fidei hostibus quati possit, defendi a probis non possit, labefactari cogatur, proflare injurias expedite prohibeatur, donec Concilium convocet? Repugnat ratio, obstitit sensus, exhorrescit imaginatio, experientia interposita in hoc sæculo appellationis a Constitutione Unigenitus nos plene, ac luctuose docuit, & adhuc docet; imo seram posteritatem docebit, quam flagitiosum sit, in re tam gravi, contra Canones, & adversus veritatem provocare. Quod si vidisset nuperimus scriptor, hoc remedium exitiale, nequiquam remedium necessarium dixisset.

Heu tamen! Incausum hæc ob oculos objiciuntur: obfirmatus animus non flectitur. Agitur de Fide: ad superioritatem Concilii divertitur. Propulsantur hæretici: opinio de auctoritate Papæ pugnam præoccupat. Instruuntur subditi Pastoralis doctrina: obtruditur disceptatio adversus Pontificiam auctoritatem. Disputatur in Scholis, propugnantur theses; In primis agitur de labefactandis Sedis Romane privilegiis. Ex Cathedra instituuntur discipuli; sed inter prima rudimenta apprimè imbuuntur, ut ipsi nec fallere, neque falli possint; Romanus vero Pontifex utrumque patiat, est ex Cathedra definit. Itaque sedentur a Romana Sede Constitutiones dogmaticæ, ad Concilium provocatur, & de potestate transigere est totus conatus. Obedientia Papæ debita prædicatur, & pugna plusquam Vatiniana committitur. Deus meliora!

Ferrandus Carthaginensis Diaconus, sæculo sexto ad Severum Scholasticum scribens, in hæc verba fatus est: *Interroga, vir prudensissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis.*

Sanctus Gregorius. (2) ad Episcopos Gal-larum

(1) l. 6. de loc. Theol. c. 7. (2) L. 4. Epist. 52.

liarum scribens, commouit, quid factu opus erat in emergentibus disceptationibus, quae graviore indigere examine. *Siquam vero contentionem, inquit, quam longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emergerit, cuius verbum sit fortasse dubitans, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicae indigeat: examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* Ecce quid magis rationi, imo iuri universali nedum consonum, sed etiam debitu censeri potest, quam integrum relinquere Sanctae Sedi de potestate sua examen, & iudicium? Audebit ne quisquam, citra injuriam sui Principis de eius auctoritate quid immunitum, quid indecorum proferre? Et audebunt subditi Ecclesiastici, proceres Hierarchici, Universitates beneficis Pontificiis instituta, & privilegia amplificata, Filii praedilecti, invito Romano Pontifice, & contradicente, peremptorie dicere de eius potestate; nunc auctoritatem decurtando, nunc jurisdictionem intercedendo, nunc errorem imponendo, fufque Pontificium circumsecando, quin doloris sensu affectus injuriam repulset, arrogantiam retundat, & sua vindicet jura?

Exarbit Bonifacius VIII. fulmina intorsit Alexander VII. Pluribus indignationibus conquestus est Innocentius XI. contra editas Cleri declarationes. Irritas, cassas, & inanes declaravit fore, & esse Alexander VIII. Purgationis speciem exegit Innocentius XII. Neque ipse Rex Christianissimus Ludovicus XIV. detrectavit in Religionis suae specimen, literas ad eundem Pontificem dare, quibus testatam voluit erga Apostolicam Sedem sui animi venerationem, & erga illum supremam auctoritatem, intimam sui cordis demissionem: Factoque spondit se laturum pro rationem remedium, ut decreta infecta jacerent, liberamque omnibus foret dicere, & oppositas declarationi theses docere possent, atque defendere, nec non Pontificum, quae late patet, tueri, vindicare, & predicare. Quo fato haec spes evanescit, & pejora prioribus sint subsceuta, videant mente, & consilio predicti, atque disjudent an recte coharent. Nobis interim alte insitum sit illud Nicolai I. ad Carolum Calvum scribentis: (1) *Privilegia Romanae Ecclesiae, totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiae Catholicae.*

Ad rem appellationis, unde divertimus, revertamur. Etiam de rebus ad disciplinam spectantibus provocare a Romano Episcopo ad Concilium, fuit opus Donatistarum, male sobolis fructus. Antiqui Galliarum Episcopi hanc audaciam improbarunt, imo Ivo Carnotensis eam execrari non omisit, consulens veram procedendi rationem, nempe ad eundem Pontificem confugere, ut iterum causa repetitis curis exagitetur. Verum furdis canitur. Ad futurum Concilium appellandum est, queruli hostes vociferant. Sit incertus hic Judex futurus, sit nunquam futurus, sit neque possibilis, nihil interit, inquit, est appellandum. Jaceat deinde appellatio, tantum abest, ut convocatio Concilii urgeatur, quin potius parati sunt omnia confectari impedimenta, ne cogatur. Ubi nam haec jura leguntur ad illudendum, & colludendum selecta? Nonne admissis his tergiversationibus, adhuc suo pondere, atque auctoritate deiciuntur Conciliorum Generalium sententiae, & decreta? Ita plane. Eutyches in Concilio Constantinopolitano damnatus, aliud Con-

cilium petiti convocari; Interim in perniciem Ecclesiae, curabat, ut pendula remaneret Concilii sententia. Taddaus Frederici II. Imperatoris orator damnatus a Concilio Lugdunensi I. ad aliud plenius Concilium ausus est provocare. (2) Refert Cardinalis Pallavicinus, ipsos Gallos, qui enixe postularunt cogi Concilium Tridentium, ut & fidei, & disciplinae Canones sancirentur, acceptis dogmatibus, caetera rejecisse. Quae omnia argumento sunt, provocari ad contumaciam eludendam; postulari alium Judicem, ad declinandum iudicium larum, & ad irridendas omnes leges flagitari Concilium. Si hac providentia excogitari possit bene instituta Ecclesia, & si haec methodo regi possit in ea, qua pollet sanctitate, videant auctores, per quos hujusmodi deliramenta a regimine politico exulant. Videant Episcopi, qui ea ipsa in sua diocesi horrent. Videant omnes Fideles, qui a suo supremo Pastore expetunt, tuto dirigi ad Coelum.

Provide tanto malo occurreret Summi Pontifices, Joannes XXII. & Callistus III. & Xistus IV. & Pius II. & Marinus V. & Julius II. datis diplomatibus, quibus hujusmodi appellantes diris devoverent, & hereticis accensent. Idemdem postremo successores quotannis in Coena Domini repetitis spiculis hoc ipsum confodiant. Ludovicus XI. Christianissimus Galliarum Rex, audita Xisti IV. Constitutione, qua appellationes ad futurum Concilium execrabatur, & appellantes, ut haereticos percelleret, voluit, justitiae Pontificum diploma solenniter denunciarum, ut refert Odoricus Raynaldus. (3) Appellavit ad futurum Concilium Dietherus Archiepiscopus Moguntinus, eumque pudore suffudit Rodolphus Pontificus Nantius, in haec verba alloquens. (4) *Oro, a quo iudicio provocasti? Ab eo certe, qui non habet in Terra superiorem; Nam quis major Papa in terris? Quae celsior auctoritas? Quae sublimior dignitas? Quae potestas altior, quam Jesu Christi Vicariatus? Ab eo appellasti, Dietherus, qui tamen agere solet, sequis Provincialium tuorum a te ipso appellasset. Sed quem appellasti iudicem? Quem provocasti tuae causae cognatorem? Futurum Concilium, dicis, appellari. Et ubi est futurum Concilium? Ubi sedet? Ubi Tribunal ejus requirimus? Pulchra inventio, ut impunita sint scelera; ut liceat sine metu iudicii aliena invadere. Is Judex appellatur, qui nunquam reperitur. In conventu Mantuano adversus hanc nequitiam lex edita est; quae appellanti ad futurum Concilium eam irrogat poenam, qua rei Majestatis, & fautores hereticorum pleuntur. Addidit Xistus IV. (5) *hujusmodi transgressores aliud caput in Ecclesia Dei, ac imaginariam majus, & sublimius tribunal consurgentes contra Apostolum dicentem; Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod Christus instituit; hujus S. Sedis primatum negare, Ecclesiae unitatem dividere, non unum solum privilegium Ecclesiae adimere, sed principalem dictae Sedis auctoritatem, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum solum auctoritas, penitus subvertere non videntur, praeter ceteris detestabiliores esse, & eorum appellaciones, quacumque occasione interponerentur, non solum irritas, & inanes, sed fraudolosas, & sacrilegas, & hereticas esse.**

Audiamus iterum sapientissimum Magistrum Canonum differentem in haec verba: (6) *Sed provocaverunt Doctores Parisienses a Concilio Lateranensi (addam) & postremo a Constitutione Unigenitus, ut non miremur, si minime parcant Pontificiae auctoritati, qui neque Concilio obtemperare.*

(1) Ep. 30. (2) Hist. Concil. l. 3. c. 5. & 7. & l. 24. c. 10. & 11. (3) Ad an. 1487. n. 22. (4) Raynald. ad an. 1461. n. 18. (5) Raynald. ad an. 1453. n. 20. (6) De loc. Theol. l. 5. c. polit. ad 9.

rare gestiant, & quemadmodum Papam subditum volunt esse Concilio, perinde & unum Concilium alteri subesse faciunt, ut iudicia, quae displicent, prope in infinitum pendula protraherentur. Est ne sic agere opus Dei, Ecclesiaeque negotium? Ad nostra redeamus: *Provocaverunt Doctores Parisienses, inquit Cano, a Concilio Lateranensi, & appellatio nomine Academiae circumferretur, Quarum illa fuerit, ego hic non disputo. Illud assero, non sine Ecclesia scandalo, atque pernicio circumferri; & alibi propius pericula, & foveas ostendit, dicens: (1) *Qui vero contempserunt, inaniaque, & levia, ac pro nihilo existimaverunt, omnes ad unum periclitati sunt, ii, qui manifeste ab Ecclesia discesserunt, & ii, qui Ecclesiae suae suspecti, postremo ii, qui in occulto adhaerent, sed suo se tempore, ut ceteri, prodent, haerent Cano.**

§. X X.

Tertium Consecrarium accedit.

SESSIO IV. & V. Concilii Constantiensis decreta, quibus contenditur subactum Papam Concilio tunc coacto, & cuilibet alteri futuro, futile argumentum hostibus praebent, cui ut Achilli unice adhaerere, & incumbere se iactant. Dilucide res explicabitur. Donec praesentia Joannis XXIII. ejus auctoritate coactum fuerat Constantiae Concilium, perstitit honestatum, nemo molitus est quidquam adversus Pontificiam dignitatem. Ast ubi audierunt Patres clam se subripuisse Constantiam Joannem, timore, & ira percit, ne Joannes declinare ad schisma eternum prolatandum, meditaretur, actutum sub capite Christo immediate se esse professi sunt, decreveruntque, Papam subesse Concilio, tam praesentem, quam cuilibet alteri. Haec constant ex ipsa facti specie ab historia, & actis descripta, ex quibus plura dicimus. I. Patres in suspensionem venisse, ne Joannes dissolveret Concilium; idcirco conatum praecipue studeverunt, invocato in caput Christo, deleta capite visibili Joanne. II. Concilium statim in decreta sess. IV. & V. descendisse, ut perterrefactum Joannem cogeret fratre promissis, studio delendi dirum schisma, unde & precibus, & minis enixe curavit, ut Constantiam Joannes rediret. III. Concilium, ne sua spe frustraretur, omnem lapidem impulit, ut Joannes se subijceret Concilio, in his lignanter, quae ad schismatis extinctionem conducere poterant. IV. Concilium animadvertens, & ferro & igne in illo extremo discrimine utendum esse, per comminatum depositionem, dignitati cedere Joannem cegit, qui proinde acceptando depositionis sententiam in eum latam, Concilio se subiecit.

Itaque quemadmodum Joannes sibi constans non fuit, perinde Concilium vacillavit, & plene de adferta auctoritate dubitavit; dubique gravis momenta ipsa ratio suppeditabat. Tum quia ipsum Joannem agnovit, ut caput, in convocazione Concilii. Quomodo igitur intra unius, vel alterius diei spatium mutuum, & acephalum, sine capite visibili poterat Concilium se declarare? Tum quia ipsum Concilium admodum infrequens, utpote unius tantum obedientiae, jure in ambiguo erat, an ut Ecclesiam universalem representans, agnosceretur, perinde ac expertum fuerat Concilium Pisanum. Tum quia si Concilium sua auctoritate plenaria constans sibi videbatur; Eccc sollicitare non desistit Joannem, ut sponte se subijceret Concilio, Ecclesiaeque pacem donaret per voluntariam Papatus abdicationem?

Serry Tom. V.

(1) L. 12. c. 10. (2) Sess. ult. (3) L. 5. cap. 5. ad 5. qu. concl. 2.

Quae omnia dilucide demonstrant, neque aliud intendisse, neque quidquam aliud voluisse Concilium, quam ex causa schismatis, & ex desiderio illud ab Ecclesia tollendi, sibi Papam subijcere per decreta sess. IV. & V. & quia adhuc in dubio versabatur, an in hoc Constantiensis coetu, ad optatum finem res produci potuisset; Idcirco, & cuilibet alteri Concilio de eadem pace donanda tractaturo, voluit Papam dicere subiectum. Papam scilicet dubium; Papam schisma pertinaciter foventem; Papam Ecclesiam sciendentem, & ob a fide devium. Legantur acta depositionis ejusdem Joannis, & palam fiet, ex causa schismatis, & haereticis fuisse Papam exutum. Perinde accidit in Concilio Pisano, quum lata fuit sententia in Gregorium XII. & Benedictum XIII. esto inutili conatu.

Confirmavit Martinus V. acta Constantiensia, adeoque decreta etiam sess. IV. & V. de subiectione Papae Concilio, inquit adversarii. Verum ex actis id nequam constat. Nullum decretum confirmationis legitur, nulla sententia. Interrogatur Pontifex ab Oratore Polonorum de alio negotio. (2) Respondet ille: de hoc negotio nihil actum esse in Concilio conciliariter, idcirco nonnulli conciliariter acta confirmata velle, & praecise in iis, quae ad fidem spectant. Rursus idem Martinus constitutionem edidit, in qua damnatas propositiones Wiclephi, Hus, & Hieronymi de Praga iterato damnat, & confodit, ne dubia auctoritas Concilii in favorem haereticis, & haereticorum detorta fuisset. Rem sic se habere constat ex actis, & ex facti specie. Quorsum enim haec repetitio, si acta Concilii abunde prospexissent fidei securitati? Ast quia plurima exceptiones objici poterant, sapienter cautum est, per Martini V. providentiam. Confirmat id omnino Sapientissimus Cano, inquit: (3) *eo tempore statuis (Concilium Constantiensis) quo sine capite erat. Contendit autem Cajet. & Turrezem. Concilium mutuum sine capite in decretis fidei servatis nullam habere certam auctoritatem; Et quantum id multis quidem argumentis suadere nituntur: Sed apud me illud est maximum, quod sicut Deus non desecit in necessariis, ita non abundat in superfluis. Cum ergo sola auctoritas deponendi Pontificem hereticum, & aut eligendi, aut deponendi Catholicum, sit Ecclesiae necessaria in casibus, quibus Ecclesia sine capite cogere suo juri potest, nihil causa est, cur amplius potestatem Concilio imperfecto tribuamus. Reliqua quidem expediri possunt, vel electo Pontifice Catholico, qui non erat; vel definito certo, cum inter multos, quisquam esset verus Pontifex, dubium erat.*

His statutis, in sumum abeunt decreta Constantiensia IV. & V. sess. de superioritate Concilii, & de Papae subiectione, quatenus trahuntur extra casum haereticis, & schismatis criminacionis, ut inique Basileenses attentarunt. Quia non erat in potestate Concilii hujusmodi decreta edere, neque in animo Martini fuit ad illa proflus respicere, nec minus confirmare. Ipsa verba Martini rem probant, Declaravit, modo dicto, duntaxat Martinus V. confirmata velle, quae & Conciliariter acta fuerant, & in materia fidei. Neque prima, neque secunda conditio comitarum decreta Constantiensia, ad omnem Papam imperite traducta. Non prima, quia repente, ut vidimus, errupere. Non secunda, quum fideles adhuc habeantur, qui illa eadem confutarunt, & damnarunt.

Ad exuberantiam haec dicta sint. Caeterum in sententia persisto, nempe ad casum schismatis

Serry Tom. V.

profexisse concilium, & ad casum contententium Pontificum, ex dubio five Juris, five facti, five utriusque exorto, ut tunc temporis agebatur; & ob schisma in Ecclesiam exaltans aliud non erat excogitandum remedium, quam Concilio contententes Pontifices subicere; quod si contingeret ab uno, non posse schisma deleri, ut in Pisano Concilio evenit, opus erat indicere, ut factum est, hujusmodi Pontifices quilibet alteri Concilio parituros esse. Et sane quantum studium, quanta solertia Concilii fuit, ut & praesentes calamitates componeret, & ut futuras praecaveret? (1) Quamobrem in Cap. Frequens, futurum Pontificem, quantum in ipsis Concilii Patribus erat, onerant urgentibus decretis, ut quodlibet aliud schisma ab Ecclesia arceret, & ipsa pericula praefocaret.

Huc usque dicta egregie suam firmitatem mutuantur a §. seq. ubi de istidem iteratis decretis agendum est.

§. XXI.

Præcedens Consecrarium ampliatur, & roboratur.

AB Eugenio IV. coactum fuit Concilium, quod Basilea felicibus auspiciis incœptum, progressum corrupti, finem nefario sedavit schismate, ac tandem tam malorum, quam errorum execratione notatam reliquit memoriam. Hujus generis fundamentis sese fidunt adversarii. Propterea ait Sapientissimus Cano: (2) *Miror equidem illorum cœcitatem, qui Concilium Basileense inveni volunt, cum manifestum sit, illud, licet a principio Eugenio IV. consentiente fuerit congregatum, postea tamen ab eodem primum Ferrariam, deinde Florentiam translatum esse, ubi Basileenses conatus publica Ecclesiae auctoritate repressi sunt.*

Quid igitur juvat, accersere patrocinium labanti cause a Concilio adeo infaukte recordationis, quia decreta Constantiensia IV. & V. sess. reproduxit, restituitque in secunda sess. Basileae celebrata? Quid juvat? Tunc quippe coepit Concilium evaporare virus, quod adversus Eugenium evomere moliebatur, & tam progressus, quam exitus rem comprobavit. Vestigiis itaque Constantiensium insistentia decreta cit. sess. IV. & V. instauravit, sed ad eundem sensum verba collimabant, nempe pro casu schismatis, & dubii Pontificis, quare potius commemoratio praecedentium decretorum, quam nova decreta dici debent. Quod certissimis momentis evincitur. I. Quia in illa secunda sess. paucissimi Episcopi aderant. II. Quia quum adhuc post Concilium Constantiense vigeret inter Doctores maxime in Romana Ecclesia, cui universa traditio docet, & jubet, esse deferendum, sententia de absoluta independentia Romani Pontificis a Concilio Generali, & de ejus suprema auctoritate supra Concilium; Inconsulto non poterat quicquam in contrarium definire, nisi re plene, ac serio digesta, uti gravitas materiae postulabat. Ex abrupto enim decretum proflavit, adeoque merito Legatus acriter fuit ab Eugenio increpatus. III. Quia ipsi Patres quum in apertum schisma prolapsi fuere, rati primo illo Decreto nihil ad rem suam se sanxisse, rem omnem ad trutinam revocarunt, & ut articulum fidei sess. 23. definire audacissime conati sunt, sensum Constantiensium Patrum pro casu schismatis, & dubii Papae, ad sensum absolutum omnium Pontificum detorquendo. IV. Quia

perinde intellexit Eugenius una cum PP. Florentinis dato Diplomate condemnationis adversus (3) Basileenses, quorum conventum Conciliabulum, & Synagogam compellavit, & Episcopus Meldensis Orator Christianissimi Regis, conceptis verbis execrationem ingeminavit, testatus in hanc vesaniam Basileenses ruisse, ut ad Aristocratiam, & Democratiam Ecclesiam perducerent. (4) *Quare nihil mirum si turpiter, & pueriliter erraverint, eos pro Hæreticis condemnando, qui nunc sine controversia fideles habentur, inquit Canolaudatus.*

Neque refert, Eugenium statim ab initio dissolvit Concilium, mox solutionem revocasse, ut ex literis Eugenii sess. XVI. lectis constat. Quia revocatoria litera nihil aliud gestiebant, quam Concilium legitime ab initio fuisse inchoatum, legitimeque continuatum. An autem bene, vel male, praetermisit Eugenius in posterioribus literis indicare, quod tamen primis reprehenderit, ubi facta, & gesta adversus Pontificiam auctoritatem retractare, & abolere imperabat. Hoc unum adnotandum est, Eugenium perpetuo damnavisse Basileenses, quia ad obortum sensum trahebant decreta Constantiensia, illumque satis ample Basileenses explicarunt, cum ausi sint in primis sessionibus ipsum Eugenium abjicere, & perinde ac Ecclesia sine vero Pontifice esset, sub capite Christo congregari, & sedere se jactaverunt. Deinde, quod lepidum est, omnem artem Basileenses impenderunt, ut Eugenius, five per vim, five per metum coactus, indictam Concilii dissolutionem deleteret. Quod ubi factum est, abjecto Christo, ut immediato capite, sub visibili capite immediato, scilicet Eugenio confedere gestiebant parati. Quis has antilogias; Quis haec praeposteram agendi rationem intelligit, aut unquam laudabit? Nihilominus adversarii festive exultant, & magnifice pronuntiant, Constantiensibus decretis accessisse auctoritatem Concilii Basileensis.

Quidquid deinceps actum est, five per ipsum Eugenium, five per Nicolaum V. successorem Eugenii mitius procedendo adversus Basileenses ad advertendum schismatis incendium, vel extinguendum, gestum fuisse constat. Audire iterum praestat Eugenium in Concilio Florentino edita Constitutione, quae incipit *Moytes*, ita loquentem: *In hoc perniciosissimo (Basileenses) dum suam malignitatem sub veritatis fidei furo colorant, Constantiense Concilium in malum, ac reprobum sensum, & a sana doctrina penitus alienum, pervertunt; ceterorum hæreticorum, & schismaticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores, & impia dogmata ex divinis Scripturis, & Sanctis PP. perverse intellectis, semper adstruere moluntur.* En quomodo de decretis Constantiensibus per Basileenses evulgatis, ac si veritates fidei forent, loquitur Eugenius. Etenim probe noverat, voluisse illos docere, omnes ad unum Romanos Pontifices, five certos, & indubitatos, five ab hæresi, & schismate alienos, inferiores esse Concilio, eique subjectionem, atque obedientiam debere.

Nicolaus V. ob temporis nequitiam, quantum eniti potuit, pacem Ecclesiae per schismatis extinctionem conciliare curavit. Id compafo Instrumento perfecit, quo comminationes, (5) privationes, tam facti, quam juris, censuras, criminationes, & poenas quascumque adversus Concilium Basileense latas, delere, & irritas perinde ac si nunquam emanasset, declarare digna-

gnatus est; Etiam cum expressione Ferrariensis, seu Florentini, ut alterius Concilii Generalis fuerint denunciatae. Sed quorsum hæc ad patrocinium dejectæ auctoritatis Pontificiae infra Concilium? Quorsum hæc ad accersendum errori praesidium? Nunquid quod factum est duntaxat ad pungendum personas, ab admisso crimine, juvabit ad laudandum schisma, ad abstergendam iniquitatem, vel ad scelus approbandum? Veritates a Basileensibus venditas tanquam articulos fidei, adhuc omnis Fidelis execratur. Jactatas a Basileensibus definitiones fidei adhuc Ecclesia rejicit, & abhorret. Superioritatem Concilii supra Papam, extra casum hæresis, & schismatis adhuc potior, & longe major pars Orbis refutat, & averfatur. Adhuc decretalis Moytes ab Eugenio edita suo consistit vigore, & robore, pleniori parte Ecclesiae clamante. Et erit animus alicui omnia hæc luce clariora tenebris offundere, & perinde iis adversari, ac si Nicolaus V. personas reintegrando, ut pace Ecclesiae fruerentur, itidem cum errore pacem conciliare praesumpserit? Abiit hoc a Nicolai V. sapientia, & innocentia; dicamurque inconcussam persisterere Decretalem Moytes, & Basileenses, intando apud Nicolaum, ut a contractis poenis eriperentur, confessos esse, velint, nolint, supremam inesse Papae potestatem eas insligendi, & ab illis absolvendi etiam ipsos, qui Concilia complent, & jactant, se in Spiritu Sancto congregatos esse; nec non universalem Ecclesiam representare sub immediato capite Christo.

§. XXI.

Quartum Consecrarium educitur.

ROMANOS Pontifices studiosissimos in Canonum inculcitate, & observantia, tum tuenda, tum promovenda, fuisse, & esse profitemur: Adeo ut ne quam jacturam subirent, pluries proteclati sint, se habere Canonum cultodiam, non dominatum; Dispensatores esse, non dissipatores, & usque ad sanguinem pugnatos, ne violatores dici unquam paterentur. Nemo tamen inficias ibit, in quacumque Republica, five communitate recte instituta triplicis generis Jura attendi oportere. Aliud divinum, quod supra nos est; aliud naturale, quod est in nobis; aliud humanum, quod infra nos est. In jure divino, & naturali, non nisi Deus ipse, & Conditor naturæ dominari potest. Reliquum ad jus humanum spectat, & sub aliquo supremo Principe, & interprete necesse est leges constituere, ne unusquisque, occurrente necessitate, sit sibi lex, Judex, Interpretes, & si simul legis violator.

Itaque in Christiana Republica nemo supra Canones assignari potest supremus Princeps, præterquam ille, qui Principatum in Ecclesia tenet, cujusmodi est Romanus Pontifex, in quo omnes agnoscent insidere plenitudinem potestatis. Non enim Concilium Generale præsto esse potest, vel ad dispensandum, vel ad derogandum, vel ad occurrendum corruptelis per meliores, aut opportuniore leges, quemadmodum summus Pontifex, ad quem proinde ipsa Concilia etiam jubent referre, & ubi necessitas urget, & ubi utilitas publica poscit, remedium expolulare.

Fatemur, adesse Canones bonum universale Ecclesiae spectantes, omniumque fidelium obedientia consecratos, quos immutare, aut convellere piaculum summum esset. Sed nunquid ad deprimentam auctoritatem Papae infra Canones hoc juvat? Minime gentium, Identidem talia contingunt in quocumque Monarchico Imperio, quin Rex sub-

jectus legibus, aut Regno dicatur. Possunt enim esse leges, plurium aliarum fundamenta, & bases, quibus sublati, tota rueret Ecclesiastica, vel Civilis politia. Possunt esse leges, quae vix vel nunquam mutari in melius valeant; & tandem possunt esse leges, quae si tollerentur, Fidei tranquillitas, vel disciplina periret. Quare potestas data in edificationem, nunquam in destructionem intelligi debet collata. Quaecumque sit illa impotentia hujusmodi leges abrogandi, nullatenus indicat subjectionem legibus, quia non est impotentia absoluta, sed conditionata ex suppositione vel materiae, vel recti regiminis existentis, hujusmodi leges immobiles, & inconcussas servari.

Rursus non repugno, dari leges, quas ipse supremus Princeps sibi quoque convenire cogitet, sit necesse: Proinde tamen sub legibus esse non est dicendum. Quoniam ipse sponte observare debet, ut vel aliis exemplo præluceat; vel observantiam subditorum suo opere dirigendo, licentiam obloquentium iniqua coerceat. Cæterum si eas violare contingeret, nullius Judicis judicium patietur, quia nullum superiorem agnoscit. Quæ in Civili politia communiter Doctores probant, respectu Principis Monarchæ, fortius cogimur de Romano Pontifice asserere, qui nemini, nisi Christo subiacet, a quo immediate Pastor omnium est dictus, totiusque ovilis supremus Hierarcha, a solo divino pendens judicio, ut ipsa Concilia explicaverit.

Præest igitur Canonibus Romanus Pontifex, suamque supremam potestatem exercet, quum dispensat, quum derogat, quum auget, quum minuit, esto semper licitum non sit abrogare, vel immutare, imo sæpe sapius, etiam si liceat, non tamen expedit, ut scribebat Apostolus. Eodem jure potius Papa in Generalibus Conciliis pro sua suprema auctoritate, quæ pollet in Ecclesia, sed minime semper expedit exercere, ne concertationes ad opinantium discordiam prorumpant. Verum si casus contingeret inter Papam, & Patres disceptionem emergere, tunc pro qualitate materiae, alterutra pars superabit. Vel enim contra manifestam veritatem altera pars pugnat (quod de Summo Pontifice divinam providentiam nunquam permissuram speramus) vel in re ardua, & utrinque sumis fulcra momentis discussio procedit. Si primum dicatur; tunc certe coercenda erit pars errabunda, quaecumque illa sit, quum accedente pertinacia etiam hæresis notam incurrat. Si vero secundum occurreret, suspendendum judicium est, donec, docente Spiritu Sancto, veritas elucescat. Quod si Patres Concilii adversus Papæ sensum pronuntiarent, procul dubio sententia non haberet certitudinem fidei, donec firmitatem a Pontifice Romano acciperet. Dilucide hæc probantur in Quinta Synodo, cujus decretum damnationis trium Capitolatorum pendulum hæsit, usque ad permissam confirmationem Vigilii Papæ. Sin autem Papa, dissentiente Concilio, ex Cathedra doceret, sententia ejus pro fide tenenda esset, quia per os Petri jubemur, audire, & credere, ut dicitur in Actibus Apostolorum. Jubemur quoque audire, & credere per os Concilii simul cum Papa docentis, sed nunquam legitur Ecclesiam obstringi audire, & credere per os Concilii dissonantis a capite, cujusmodi est ex divino jure Romanus Pontifex.

(1) Concil. Constant. sess. 39. (2) De loc. Theol. l. 5. c. post. ad 9. (3) Decretal. Moytes. (4) loc. (1) Epist. ad omnes fidel. 3. apud Labbe tom. 13.

Quintum Consecrarium assertur.

Suprema auctoritati Romani Pontificis, ejusque judicio ex Cathedra lato, omnino aberrationis exforti, deberur etiam omnium librorum, & auctororum censura, atque potestas eos probandi, vel condemnandi. Injucundum haud erit hæc ostendere, quomodo insensura mala. Synodus Ticinensis, præsentem Imperatorem (1) Carolo Calvo celebrata, frequentia Gallorum Antistitum aucta, honorem summo Pontifici ex debito; professæ est: *Et quæ secundum sacrum ministerium cum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipi deberentur.* Id ipsum firmaverit Gallicani Præfules in Synodo Trecenti (2) coram Joanne VIII. cui jure jurando inviolabilem obedientiam significationem spondederunt, & Sanctam Romanam Ecclesiam professi sunt agnoscere ut Matrem, atque Magistram. (3) Nicolaus I. Photii temeritatem compescens, docuit a Sede Apostolica exquirendam esse veritatis doctrinam, in hæc verba: *Quia universitas credentium ab hac Sancta Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirat, integritatem fidei deposcat, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant; oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse. . . Et ideo consequens est, ut quod ab hujus Sancte Sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius, atque inconcusse teneatur.*

In prædictorum efficaciam venit, recte ab eodem Nicolao suæ auctoritati vindicatum esse ex more antiquo omnium librorum, auctororumque promeritam censuram. Scribens namque ad Gallicanos Episcopos, ita eos alloquitur: (4) *Sic enim ipsorum (Romanorum Pontificum) decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, itaut quod Sedes Apostolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hætenus inefficax habetur; & quanto potius quæ ipsa pro Catholica Fide profanis dogmatibus repellendis, pro variis, & multis Ecclesie necessitatibus, & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debet honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione, vel dispensatione magistra reverenter assumi. Quamque innotuit Nicolao, Joannem Scotum Erigenam in doctrina Operum Divi Dionysii, quæ ex Græco Latina reddidit, deerrasse, compulit sibi librum examinandum ex Galliis transmitti, dicens: (5) *Relatum est Apostolatus nostro, quod opus B. Dionysii Areopagite, quod de divinis nominibus, vel celestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes genere Scoticus, nuper in Latinum transulerit; quod juxta morem nobis mitti, & nostro debuit judicio approbari: Præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientie esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hætenus omissum est vestra industria suppleat, & nobis præstatum opus sine ulla cunctatione mittat, quatenus dum a nostri Apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptum habeatur. Quibus instructus Godefridus Viterbiensis in Epistola nuncupatoria ad Urbanum III. quam suo Chronico universali præfixit, eandem auctoritatem demissa ani-**

mi significatione deprædicat. Præmiserat eandem protestationem, & Divus Augustinus in Epistola pariter nuncupatoria ad Bonifacium I. quæ extat in opere contra duas epistolas Pelagianorum, & S. Anselmus Cantuariensis in simili epistola libri de fide Trinitatis, & Incarnationis Verbi ad Urbanum II. & Divus Thomas Aquinas in Epistola Dedicatoria Caræ Aureæ ad Urbanum IV. ex quibus constat esse Romani Pontificis curam, modum, & moderamen retinendum in studiis, & Doctrina præscribere. Idipsam agnovit Duodecimo Sæculo Stephanus Tornacensis Episcopus, enixe rogans Cælestinum III. ut Academiis cogeret ad uniformem docendi rationem, & veritatis sectandæ studium. (6) *Hæc omnia Pater (inquit) correctionis Apostolicæ manum desiderant, ut uniformitas docendi, discendi disputandi auctoritate vestra ad certam redigatur formam, ne sermo divinus aversione vulgari vilescat.*

Audiatur S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & Martyris illustris, qui præemptorio argumento divagantia quæque ingenia comprimit. (7) *Doctores Gentium, inquit, qui gloriantur, se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse, sed instructos a Christo, ascendit Hierosolymam cum Ecclesiæ Principe de fide consultis, ne forte in vacuum curreret, vel cucurrisset. Siquidem fons Paradisi unus est, sed in plura rescinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, fontem Catholice Doctrinæ ambigit esse?*

Cohæret S. Thomas Cantuariensis libello Hadriani II. in Synodo Octava ad. 1. relecto, & a Patribus cunctis subscripto, ubi egregium erga Romanam Ecclesiam proferebatur encomium: *Quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica servata religio, & sancta celebrata doctrina.*

Hugo Etherianus celebris scriptor duodecimi Sæculi lib. 3. de hæres. quas Græci in Latinos devolvunt, cum super additione vocis Filioque in Symbolo argueret, ait: *Lucius (Romano Pontifici) semperque licet Frater confirmare, decreta edere, eadem interpretationes, scilicet aliquid obscure scriptum sit, & de voluntate scriptoris argumentari, judicio voluntatis illius relicto facere hoc persuadente. Is enim est, cui oves, & agni commissi sunt, & idcirco non solum scripti recitator esse debet, verum interpretis illorum, quæ adscripta non sunt, ut caput ovium Dei, & Pastor.*

Pluribus non est opus; neque enim ex novis scriiniis, tanquam arca proferuntur, sed ut antiqua, & obvia documenta exhibentur. Unde mirari subit, adversus antiquitatem aliquos audacter pugnare, quomodo Pontificiam condemnationem librorum, aut thesaurum, sive proserptionem propositionum vel parvi habere, vel contemnere, vel adhuc subfannare non erubescunt. Non docuit antiquitas alteri eruditionis insilire, sed illi, quam Romana sectatur Ecclesia. Hæc enim confundimus omnes eos, qui quomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cavillatorem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiam principalem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis tradita. Hætenus Hugo Etherianus.

(1) Baron, ad an. 876. & in Conc. c. 2. (2) ad an. 878. (3) Epist. 6. ad Phot. (4) Ep. 47. tom. 3. Concil. Gall. pag. 259. (5) Fom. 3. Concil. Gall. pag. 352. (6) Ep. ad Cælest. 3. apud Claud. de Moulin. (7) h. i. Epist. 97. ad Epist. Angliz.

Sextum Consecrarium editur.

DE Privilegiis a Christo collatis immediate Romano Pontifici, huc usque loquuti sumus, quæ concuti possunt, convelli non possunt, quati possunt, everti non possunt. Idcirco mirandum ne est, si Romanus Pontifex, sua jura sustinendo, a procacibus hostibus, pugnacissime exagitetur? Etenim uniformiter suæ auctoritatis supremam potestatem, tum super universam Ecclesiam, tum super Concilia cujuscumque amplitudinis, & præminentie sint: quomodo in causis fidei dirimendis, vel hæresibus, atque aberrantibus, sive hæreticis proligandis, & confodiendis, judicandi finaliter, & peremptorie per irreformabilem sententiam nunquam fallacem, nunquam fallentem, nunquam dubiam, sed firmam, & certissimam undequaque prævalentem, potestatem Romani Pontificis statuerunt, proclamaverunt. Quoties id præstitere, nullus, nisi falsiloquus ignorat. Nunc indignantes, ut audaces corripere: Nunc interpretantes, ut male instructi deo docerentur: Nunc decernentes, ut vacillantes confirmarentur: Nunc proferentes libros, & ac theses, ut deviantes ad saniorum studii rationem se converterent, neque alios fallerent: Nunc censuris protervos configentes, ut eos compescerent: Nunc constitutiones, & decreta edentes, ut ad veritatis tramites devii revocarentur.

Sed adhuc incautum, (Iterum luctuosa deslere oportet) Pertinacia non stæditur. Agitur de fide; ad superioritatem Concilii questio divertitur, propulsa heretici, refricatur opinio de auctoritate Papa, quæ pugnam præoccupat. Eduntur dogmaticæ Constitutiones, ad Concilium provocatur, & de auctoritate transigere præsumitur. Obedientia prædicatur, & bellum committitur. Instruuntur Populi de rebus, sive ad fidem, sive ad disciplinam spectantibus, & sive opportune, sive importune (parum illorum interest) necessarium ducitur villicare, carpere, deprimere auctoritatem Pontificiam, & disceptationes de Romano Pontifice obtrudere; Adversus Doctores despuere, eisque simul, ac Sedi Apostolicæ dentem theoninum infingere.

Attamen obfusis, ac crebro contractis spiculis huc usque adversus Pontificiam supremam auctoritatem, & Romani Pontificis inconculsa privilegia pugnatum est, & pugnatur. Pro muro stant, Pontificii Doctores, & Patres, & violentas manus redundunt cum Apostolo dicentes: (1)

(1) 2. ad Cor. 13. 5. (2) L. 6. cont. Parmenian. circa med. (3) Matth. 16. 18. (4) Luc. 22. 23. (5) Jo. 21. 15. 17. (6) Jo. 10. 16. (7) Matth. 16. 18.

Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Etenim quomodo in Comitibus Cleri Gallicani anno 1682. coactis declarationes emanaverint, auctoritatem, & infallibilitatem Pontificiam comprimentes, Innocentius XI. deinde Alexander VIII. Pontifices Maximi, potestatem sibi a Christo data, eas mox reprobarunt, ac deleverunt.

Alexandro VIII. hæc strenua navata opera, vita functo, successus fuit in Sede Petri Innocentius XII. qui, ad vindicandam Pontificiam auctoritatem, Prædecessorum vestigiis insistentes, voluit enixe, & obtinuit, ut a Rege Christianissimo vacuum effectum declararetur edictum Regium prædictis propositionibus Cleri Gallicani favens, & ut candidati pro adipiscendo Episcopatu, qui dictis comitiis interfuerent, male partas declarationes ex animo irritas facerent, & abrogarent. Utrumque impletum est. Extant literæ Ludovici XIV. ob egregium facinus magno nomine digni; & extant literæ Episcopatum candidatorum ad Innocentium XII. datæ, quibus nota, testataque prædicta comprobantur.

Quomodo hæc ita se habeant, in apertum, lucemque decantata; mirandum sane, quod eadem toties collisa, ac ejurata ab orco revocentur, & usque ad convicium decantentur! Et nondum finis. Sed quoniam post invidia Sylvam (ut verbis S. Optati Milevitani) (2) securibus veritatis abscissam, video adhuc vestras provocaciones pullulare: Sententiam ejusdem Africani Antistitis, qua adversarios suos compellabat, hic ad verbum usurpare placet. Ajebat enim: (3) *Vos dicitis, licet: Nos dicimus, non licet. Inter licet vestrum, & non licet nostrum, nutant, & remigant anime Populorum. Nemo vobis credat; nemo nobis; omnes contentiosi homines sumus. Querendi sunt Judices. Si Christiani, utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. Disforis querendus est Judex; si Paganus, non potest nosse Christiana secreta; si Judeus, inimicus est Christiani Baptismatis; ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De celo querendus est Judex. Sed ut quid pulsemus ad celum, cum habeamus hic in Evangelio testimonium? . . . Nunc adestote omnes turbe, & singuli Christiani populi. Quid licet, discite. Dum provocat Petrus, Christus docet. Qui dubitat, discat. Christi vox est. Et quidem repetita vox est. (4) Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. . . (5) Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. (6) Pæce oves meas, pæce agnos meas. (7) Fiet Unum ovile, & Unus Pastor, (8) & Porta Inferi non prævalent.*